

PARTIS GENERALIS

CAPUT I.

De
Hermundurorum Metallurgiæ argentariæ
Onomatologia.

SUMMARIÆ.

§. 1. Onomatologiæ partes enumerantur, ubi exponitur §. 2. origo cum §. 3. & 4. gentis, tum §. 5. nominis Hermundurorum, à quibus regio denominatur, cujus situs ac fines §. 6. & 7. delineantur atque §. 8. hoc loco applicantur. Porro Metallurgiæ §. 9. Onomatologia, & §. 10. & 11. homonymia, ejusdemq; §. 12. accommodatio cum Onomatologia vocis argentariæ annectitur.

§. 1.

Onomatologia omninò antecedere debet, quo per eam in rerum ejusmodi cognitionem deveniatur facilius. Accuratiores evolutio nominum *Etymologiam*, *Synonymiam* atque *Homonymiam* continet.

§. 2. Quod vocem *Hermundurorum* attinet, respectus ad regionis nostræ metalliferæ primam ac vetustissimam denominationem habetur, quæ terra *Hermundurorum* audit. Fuerunt enim *Hermunduri* Germaniæ populi, & quidem secundum illius præscam divisionem, inferioris, quæ hodie respectu habito ad occidentalem Germaniæ partem est superior.

§. 3. Heic si Chronicorum architectos sequi volupe esset, poteram9 eorum primam originem ex *Japheti* posteris derivare. Tradunt enim ex *Japheti* tribus nepotibus *Ascenate*, *Riphate* & *Thogarma* (*Genes. X, 1. 2. 3.*) gentes Europæas trahere originem, ita, ut à *Riphate* provenerint *Sarmatæ* sive *Riphæi*, qui in montibus *Riphæis* ab illis ita dictis sedem fixerunt; Ab *Ascenate* verò & *Thogarma* natu maximò & minimò fratribus, Germani inferiores atque superiores; illi quidem ab *Ascenate* (qui post linguarum confusionem vocatus fuisset *D'Ascen* sive *T'Ascen* ex articulo *Der* juxta morem durius scripto, & proprio nomine *Ascenas*, unde porro exigua literarum mutatione *Tuiscon* & *Tuiscones*, die *Ascenes*, factum, (*Con-*